

I O A N. V I R D V N G V S

declinans ad Martis & Iouis qualitatem. Reliquæ ferè sunt Mercuriales Saturninæq;. Arcturus inter pedes Arctophylacis statuitur, neq; constellationem ingreditur. Cæterum Booti isti tribuunt alias 14. stellas, quibus (sed præcipue tamen sinistro ipsius humero) putat Iacobus Curio subiectam esse nostram Franconiæ, quod ipsum dicere, à ratione alienum non est, si respicias ad Gentis studia, mores, & dexteritatem.

Corona Ariadnæ Septentrionalis nouem in circuitu sparsas habet Stellas, quarum tres sunt cæteris splendidiore, eadem agunt, quæ Venus & Mercurius.

Hercules Geniculatus ἐργόυνασι dictus, pellem Leonis in sinistra gerens manu, Clauam in dextra, stellas recipit 24. secundum alios 30. Mercurio similes.

Lyra seu Testudo, quam iuniores Vulturẽ cadentem uocant, nouem habet stellas, inter quas una est clarissima, omnes de potestate Veneris & Mercurij.

Cygnus in quẽ se Iuppiter Lædam compressurus transmuit, stellas in alis corpore & cauda, 13. habet, Quæ quia possunt Gallinæ imaginem etiã constituere, fit ut constellationem totam hanc multi Gallinam nominent, sequuntur autem naturam Veneris & Mercurij.

Cassiopeia in sella sedens, 13. claras habet stellas, naturam Saturni & Veneris imitantes.

Perseus sinistra manu ferens abscisum Medusæ caput, in dextra gladium, ex 18. stellis constituitur, 29. ab alijs ponuntur, omnes de natura Saturni & Iouis. Illæ tamen in capulo gladij Martiales sunt.

Eniochus, quem & Erichthonium, Agitatorem & Aurigam uocant, cuius caput haud multum distat ab Helice, cuiusq; genua respondent Geminis, & pedes cornibus Tauri, decem, & secundum alios 14. stellas Marti Mercurioq; similes recipere dicitur. In sinistro humero claram habet, quæ appellatur Capra. Super brachio duos Hædos, quorum frequens fit mentio apud Poetas

Poetas